



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Successionibus ab intestato. Consilium CCCCXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

obligatio restituendæ illius summae his, à quibus illa accepta est, & perdurabit, donec restituta fuerit: mortuo tamen Reverendissimo Episcopo ad eius hæredes non est translata, sed relidet ac manet apud ipsum Monasterium, seu illius in Prælatura successorem. Hoc enim iure constitutum est, quod per defunctum Prælatum in necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ contracta obligatio per successorem in Prælatura, non per illius testamentarios seu sanguinis hæredes sustineri, & dissolvi debeat, c. 1. *De solut. & ibi Panorm. & alij, Castrensis consil. 2. vol. 1. Anchar. consil. 301. Viso diligenter, Franc. Marc. decis. 4. 7.* fatilique ob id eius hæredi esse debeat, si probare possit hanc pecuniam conversam esse in Monasterij utilitatem. Qui hæres nec magis constringitur, ex eo, quod hic Reverendissimus se obligaverit ad redemptionem, seu liberationem ab hac summa intra duodecim annuum: nam hoc informans velut pactum seu conditio adjuncta, licentiæ seu auctoritati gravandi Monasterium ad hanc summam comitatur ipsam obligationem, & perinde transfertur ad successorem in Prælatura; quia scilicet ad utilitatem illius quoque pertinet: ita ut per superiorem Archiepiscopum successor etiam cogi possit in exitu duodecimi anni hoc debitum dissolvere. Quia in parte successor, etiamsi hos numeros non percepit, magis gravatus, quam futurus erat Reverendissimus Dominus, dici non potest; ob id, quod impensæ reedificationis hæcenus factæ eius commodo cedant, & eum relevent, qui quantum majores de fundus in hanc causam fecit, minores facere tenebitur, cum evidentiore percipiendorum fructuum Monasterij emolumento, præsertim in feliciore temporum successu, & latiore fundorum culturâ, quam defunctus ex malignitate temporis arctiorem habuit. Hæc igitur promissio de dequitando hoc onere, tacitam hanc habet sive legem, sive conditionem, rebus in eo statu permanentibus, l. *Continuus §. cum quis in fine De vrb. oblig. l. Quod servus De conduct. causa data, & ibi Gloss. in verb. posse*; hoc est in proposito, si dictus Reverendissimus Dominus in exitu duodecimi anni adhuc superesset: non quidem, ut illius morte finitur hæc obligatio, sed ut transferatur ad eum, qui illum representaturus esset; hoc est ad successorem in Prælatura, Cujus obligationis præstandæ & representandæ necessitas, tantò potentius ad successorem in Prælatura transferri debet, quod in præcedente consultatione, vide d. cons. 370. sup. de pe. ul. cler. deductum sit, fructus dicti Monasterij extantes ex novissima messe ad eum, non ad hæredem Reverendissimi Domini transferri: ut ex translato commodi ratione proclivior quoque sit translatio hujus oneris, c. 1. & ibi Gloss. 1. *De Eccles. adific.*

4 Et tantum abest, ut dicti Reverendissimi Domini hæredes multum debeant esse solliciti de excutiendo à se hoc onere ulterioris ædificationis (de quo solo nunc proponi videtur) ut ex contrario merito cogitare possint, anne à dicto Monasterio seu successore in Præpositura & Episcopatu pleraque etiam repetere possint, quæ de suo in necessarias & utiles causas dicti Monasterij, ultra quam ex fructibus Monasterij percepit, seu

percipere potuit, Reverendissimus impendit; & inter alia ad hoc successorem urgere, ut mutuum illud circiter nonagenorum florenorum contractum propter protectionem ad Concilium Provinciale, ex fructibus seu emolumentis Episcopatus & Monasterij persolvatur. Id enim cum ob necessitatem & utilitatem Ecclesiæ sit contractum, æquum est ex illorum fructibus & bonis præstari, argum. c. *Ut præterita De elect. & minime relinqui ad onus hæredum, quibus hoc defuncti proprium officium non debet esse damnum, l. Si servus communis §. quod verò De furtis. ** Sed & illud, si anne in successorem Episcopum seu Præpositum transferri debeant instantia litium, quæ adversus Reverendissimum Dominum non privato & proprio suo nomine, institutæ adhuc indecise pendent. Nam instantia litis mortuo eo, adversus quem illa instituta est, transferri debet in eum, qui ejus loco succedit, & eum repræsentat, l. *Si eum hominem De fide. iuss.* Cum ergo Prælatus duas stationes sustineat, alteram suo proprio, alteram dignitatis nomine; & ex duabus his stationibus alium atque alium habeat successorem, cujusque stationis causa per se considerari, & minime hæc inter se confundi debent, *Præses in loco de Tanquam.* Verum quia de his causis nihil nobis ad resolutionem juris proponitur, sed ad dictarum circumstantiarum explicationem & demonstrationem, quomodo in hoc Episcopatu, & in rebus dicti Monasterij hic Reverendissimus Dominus se gesserit, & quam parum emolumentum ex bonis & redditibus Monasterij percepit; & quam multum de suo etiam erogaverit & præstiterit, latius hæc non prosequimur: in eo consistentes, nihil proponi, cur ejusdem Reverendissimi Domini hæredes dicto Monasterio teneantur ad continuationem aut perfectionem dictæ reedificationis.

De Successionibus ab intestato.

SUMMARIVM.

Episcopo Abbati quis succedat.

1. Episcopo Abbati an succedat Episcopatus, an Abbatia.
2. Fructus Abbatia incorporata, Episcopatu vocante, cui cedant.
3. Episcopus an testari possit de fructibus Ecclesiæ.

CONSILIVM CCCCXXXI.

EPISCOPATV Middelburgenfi incorporata est Abbatia B. Maræ ibidem, estque modernus Episcopus in possessione ejusdem Cathedralis Ecclesiæ dicti Episcopatus ex morte Episcopi occupat bona: quaritur, mortuo Episcopo, quod devolventur bona per dictum Episcopum relicta; & vacante Episcopatu, cujus futuri sint fructus Abbatia seu Ecclesiæ.

Respondetur paucis quoad primum, quod secundum terminos juris communis, c. 2. & 3. *De pecul. c. Quia nos de testam.* Episcopo in bonis ex dicta Abbatia, & intuitu Ecclesiæ acquisitis, succedet Ecclesiæ, & minime dictum Monasterium seu Abbatia. Ut enim Abbas unius Monasterij, ad majorem dignitatem seu Episcopatum alterius Ecclesiæ translatus, omnia, quæ post consecrationem

tionem acquirit, Episcopatus, seu Ecclesie acquirat, *can. Statutum xviii. q. 1. c. cum olim de privileg. Alciat. consil. i. nu. 1.* ita quoque Abbatia translata & incorporata alteri dignitati, accessionem ex fructibus Abbatie facit Ecclesie, non Monasterio. Quod hic facilius dicendum est, propter incorporationem & unionem Abbatie: quia cum huiusmodi incorporatio & unio fiat per suppressionem atque extinctionem incorporati & uniti beneficii seu dignitatis, nulla amplius habenda est ratio suppressi & extincti beneficii seu dignitatis, sed tantum Ecclesie seu dignitatis, cui huiusmodi incorporatio facta est, cum unitum & incorporatum beneficium seu dignitas nomen beneficii seu dignitatis amittat: ideoque nec unquam vacare censetur, neque ut vacans conferri possit, *Rota decis. 27. Nota quod ubi beneficium, in antiq. Calderin. consil. ult. de reb. Eccles. non alienat. Paul. Paris. consil. 30. In causa vertente nu. 1. vol. 4.* Ita ut quod alibi dicitur, in c. 1. xii. q. 4. *Innoc. in c. Relatum 2. de testam. Freder. de Senis consil. 35. Quidam Monachus nu. 4. de dividendis bonis, quæ reliquit is, qui plura beneficia obtinuit pro rata beneficiorum, hic in consideratione haberi nequeat: quia præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus consideratur tantum ut Episcopus, non ut Abbas & Episcopus; propter præfata suppressionem & extinctionem.*

2. Ad posterius dico, quod vacante Sede fructus Episcopatus tam ex dicta incorporata Abbatia, quam aliunde ratione Episcopatus obvenientes, unâ cum prius acquisitis, & per eum relictis, reservandos esse futuro successor in Episcopatu, nec eos ullo modo cedere Capitulo aut Canonicis Cathedralibus; ut illos inter se dividere, aut ad alios usus applicare possint, *c. Quia sæpe de elect. lib. 6. Gloss. c. Relatum 2. Clem. Statutum de elect. c. ibi Cardinalis & Inola.* Sunt enim hæc bona dictæ incorporate Abbatie separata à communibus bonis Capituli, *Covar. in d. c. Relatum 2. nu. 3. ** Et hæc quidem, nisi Reverendissimus Dominus Episcopus ex impetrata dispensatione seu licentia Sanctissimi Domini Papæ de acquisitis & superexstentibus bonis & fructibus Abbatie testamentum seu codicillos fecerit, *Covar. in c. Cum in officiis nu. 7. de testam.* Quin enim id ita fieri possit, dubium non est.

De Successionibus ab intestato.

S V M M A R I V M.

Monasterium an succedat pro filio religioso.

1. Monachi in immobilibus succedunt parentibus de iure.
2. Statutum excludens monachos à successione bonorum paternorum an valeat.
3. Statutum ne bona immobilia transferantur ad Monasteria, vel manum mortuam an valeat.
4. Monasterij ingressus inducunt mortem civilem, quæ naturali adsupparatur de iure.
5. Monacho delata hæreditas acquiritur Monasterio.
7. Aliena nemo efficacie alienat.
8. Cautela quæ pro consilio suggesta.

EXTRA omnem dubitationem sunt, quæ pro sustinenda intentione Monasterij Carthusiensis Oppidi Confluentis adducuntur, si casus successionis, de qua questio est, ad terminos juris communis referatur; * non tantum ex dispositione iuris Canonici, *c. In præsentia De probat. c. fin. De success. ab intest. verum etiam ex permissione juris civilis, l. De nobis §. hoc etiam c. de Episc. & cler. l. 1. c. De sacros. Eccles. eo loco etiam collocata, ut ex communiore receptioreque Doctorum sententiâ nullo statuto, nulla lege municipali, aut consuetudine induci possit, ne Monachi atque Religiosi suis parentibus ex testamento vel ab intestato succedant; neve Monasteria, aliave religiosa loca, aut corpora bonorum temporarium sint capacia; neve Ecclesiis bona præsertim immobilia dari, relinqui, aut acquiri possint; * ideoque huiusmodi statuta, tamquam libertati Ecclesiasticæ repugnantia & derogantia, esse cassa & irrita, *Aurb. Cassa c. De sacros. Eccles. §. licet & hoc præsentij in Aurb. de sacros. Episcopis.* Et communiter ob id reprobari Bartoli contrariam traditionem, *in l. fin. c. De pat. & in l. Rescripto in fine d. De mun. nerib. & honor. per Aymonem Cravettam multum amplificatam, in tract. de antiq. tempor. parte 4. circa præmissa nu. 7.* longèque plures iuris Interpretes, auctoritate non minores pro ea opinione stare, quæ annullat hujus generis statuta; sive de acquisitis, sive de acquirendis bonis, *Alex. consil. 139. Viso themate nu. 12. vol. 2. relin. in d. c. In præsentia nu. 71. Iason, Decius & alij in l. placet c. de pat. & in l. Placet c. De sacros. Eccles. Decius in c. Ecclesia S. Maria nu. 49. De consuet. sive de ingressis, sive de ingressuris Monasterium, Bald. consil. 246. Monialis nu. 2. vol. 1. agatur.**

Sed hæc scholæ magis, quam fori disputatio cum habet in regionibus inferioris Germaniæ, Regiæ Catholice Majestati subiectis exitum; ut frustra tentetur à Monasterijs Monasticisque personis hæc juris communis definitio, & communis recepta opinio; propter constitutionem Caroli Quinti Imp. in anno 1520. latam; quæ cautum est, ne quis subditorum quovis modo bona immobilia alienare aut transferre possit ad opus Monasteriorum, Ecclesiarum, Collegiorum, Conventuum, aut Ecclesiasticarum personarum, sine consensu suæ Majestatis & Civitatum, sub quibus huiusmodi bona sita sunt; neve per quamcumque speciem successionis, ultimæ voluntatis, aut donationis devolvantur vel obveniant Monasterijs, Collegijs, aut Capitulis: adjunctâ clausulâ decreti irritantis quicquid in contrarium præmissorum fiet. Adversus quam constitutionem, ut contra stimulum, frustra quis niteretur, *Cravetta consil. 152. Circa testamentum nu. 2. vol. 1.* in nimis exacta & præcisa illius observatione; quæ hoc colore ex sententiâ Bartoli, & aliorum non paucorum etiam sustinetur; quod ea ordinatio non sit directè concepta contra Ecclesias, & Monasteria; ut esset si statutum esset, ne Ecclesia, aut Monasteria, bonorum talium sint capacia: sed concepta super bonis temporali jurisdictioni, superiori-tati, & potestati statuentis Principis subiectis, ne scilicet bona talia in Ecclesiam alienentur vel obveniant,